

Universitätsbibliothek Wuppertal

Diodori Sicvli Bibliothecæ Historicæ Libri XV

Diodorus <Siculus>

Basileæ, 1578

Kolophon

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1046](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1046)

Extat præterea locus ex Diodori libro sexto, citatus ab Eusebio
in libro secundo præparatione Euang.

Gitur de dijs geminas prisca homines posteris tradidère sententias. Quos ^{Matæologia,} ^{de dijs æcre} ^{nis & terrenis} ^{stribus.} dam enim æternos & immortales esse perhibent, ut Solem, & Lunam, & cætera cœli sydera. Præterea uentos & cæteros similem his naturam sortitos. horum enim quenz æternum habere ortum atq; permanentionem. Alios dicunt terrestres fuisse deos: sed propter collata in homines beneficia, consequutos fuisse immortales honores atque gloriam, ut Herculem, Bacchum, Aristæum itemq; huius generis alios. De terrestrib. autem dijs multa uariacq; memoriæ prodita sunt ab historiarum & fabularum scriptoribus. Et ex historicis quidem Eumenis, is qui sacram narrationem conscripsit, nominatim scripsit. At ex fabularum authoribus Homerus & Hesiodus, & Orpheus, & huius generis alij, monstrosiores fabulas de ijs finxere. Nos uerò quæ ab utrisque conscripta fuere, paucis percurrere conabimur, conuenientia rationem habentes. Igitur Eumenis, qui fuit Cassandri regis amicus, & ab eo coactus est regia quædam ^{Euemeni nar-} ^{ratio de Pan-} ^{chæis.} munia & longinquas peregrinationes obire, ait se per mediterranea loca ad Oceanum usque profectum fuisse, cumq; ab Arabia felice soluisset, nauigationem per Oceanum complures dies continuasse, & ad insulas in alto mari positas delatum fuisse, quarum una præcellat, nomine Panchæa: in qua uiderit habitatores Panchæos pietate præstantes, & qui deos magnificentissimis sacrificijs, præcipuisq; donarijs argenteis & aureis honorarent. Esse autem insulâ dijs sacram, & alia plura tum propter antiquitatem, tum propter operis copiosum artificium admiranda: de quibus sigillatim in libris qui hunc antecesserunt, conscripsimus. Esse autem in ea in quodam colle, singulari altitudine fanum Iouis Triphylæi. extructum ab ipso, quo tempore in toto orbe regnabat, adhuc inter homines degens. In hoc fano columnam esse auream, in qua Panchæis literis summatim scripta habeatur gesta Vrani, & Saturni, & Iouis. Postea tradit Vranum primum regem fuisse, hominem quendam æquum & beneficentem, & motionis siderum scientem, qui etiã primus sacrificijs honorauerit cœlestes deos: ideoq; Vranus (id est, Cœlum) fuerit appellatus. Eum filios habuisse & uxore Vesta Panem & Saturnum, filias uerò Rheam & Cererem. Saturnum regnasse cum Vrano, & ducta in matrimonium Rheam, genuisse Iouem & Iunonem & Neptunum. Iouem autem cum in Saturni regnum successisset, duxisse in matrimonium Iunonem & Cererem & Themim: ex quibus liberos præcreauerit, Curetes ex prima, Proserpinam ex secunda, Minervam ex tertia. Cumq; Babylonem uenisset, usum fuisse hospitio Beli, & postea profectum ad insulam Panchæam, apud Oceanum sitam, Vrani autem sui aram extruxisse: & inde per Syriam uenisse ad eum qui tunc princeps erat Cassium: à quo etiã Cassius mons, & in Ciliciam profectum, bello deuicisse prætorum Cilicæ ac peragratis alijs quoq; plurimis gentibus. apud omnes honoratum, & Deum fuisse nuncupatum.

Hæc & his similia de dijs, tanquam de mortalibus hominibus, persequutus, sic infert.

Et de Eumero quidem, qui sacram narrationem composuit, hæc à nobis dicta sufficient. Quæ uerò Græci de dijs fabulantur, nos secundum, Hæliodum & Homerum, & Orpheum breuiter percurrere conabimur.

Diodori Siculi Bibliothecæ historice Finis.

B A S I L E Æ,

EX OFFICINA HENRIC PETRINA, ANNO
POST RECUPERATAM SALVTEM NOSTRAM
CIO. I. D. LXXIIIX. MENSE MARTIO.